
EPISTOLA
De
STOMACHO
Scripta
ad
NOBILISSIMUM & EXPERIENTISSIMUM
DN. JOH. GEORGIUM
SARTORIUM,
Phil. & Medic. Doctorem, Reverendissimi, Per-Illustris ac Gratiosi Capituli Bambergensis Physicum Ordinarium & Juratum, S. R. I. Acad. Nat. Curiosorum Collegam &c.
à
JOH. GEORGIO VOLCKAMERO,
Medico Reip. Noribergensis.



ALTDORI NORICORUM,
Typis HENRICI MEYERI, Universitatis Typographi.
Anno *M DC LXXXII.*



Nobiliſsimo & Excellentiſsimo

DN. JOH. GEORGIO SARTORIO,

Salutem!

Diuturna hactenus culta vigensq; inter nos conſuetudo adeò noſtros coadunavit animos, ut neuter ſine altero, quin uterq; ſubinde ſuo cum amico converſari & vivere gaudeat. Integritatem vitæ Tuæ cum contemplor, ea magni ſemper à me habita tales apud me egit radices, quas nulla poterit evellere vel ambitio vel ſimulatio. Arduum, cui Te mancipas, honoris ſtudium, ſemitam Tibi ſternit ad ſummum illum Virtutis verticem, ut & ad artem, in qua plurimùm polles, medicam, inſigni porro cum fervore & fœnore amplificandam, Tibi eſt incitamentum: Nec enim, Vir Excellentiſſime, vel Seni addiſcere quid dedecoroſum eſt. Longè abſunt à tali ingenio imberbes quipiam & muſtei hujus ſeculi ex prælo opinionum ferventes Medici, qui vix impetrato à ſuis Promotoribus dibapho jam ſe conſummatos cenſent artis ſuæ magiſtros, adeò, ut ſi ſaltem rudiorem apud plebem plurimùm loquendo polleant, illicò vitæ illius necisq; arbitri fiant. Sed ut Meſpila palato non ſtatim arrident, niſi in cellis aliquandiu detenta auſteritatem ſuam depoſuerint: nec inſuper falerna illicò fiunt recèns è torculari exeuntia muſta; dum quod citò fit, citò quoq; perire ſoleat: Ita maturo cum judicio licèt Tuas tractes curationes, nihilominus crebro mecum literarum commercio inſtituto, quin & amicâ nonnunquam ad me factâ excurſione, in conjecturali hâc arte veritatem penitiùs perſcrutari & eruere ſatagis, ut licèt per tria, & quod excedit, hactenus luſtra ægrotis ſolerti cum inge-

nio

nio adſtiteris, ulteriores tamen in praxi medica progreſſus facere, ſcientiæq; atq; conſcientiæ etiamnum conſulere non verearis. O ſi tecum alii pleriq; ſimiliter eſſent animati! quàm poſſent plurimi pervenire ad Sapientiam, niſi ſe jam perveniſſe putarent?

Cum itaque coràm mea de ventriculo placita aliquoties intellexiſſes, illa Tecum ut facerem communia petiiſti. En ea ipſa, quæ paradoxorum loco mitto, animi mei ſenſa, iisque donec certius quid de illo determinavero, fruere. Nemini verò mea hæc obtrudo, ac ſi ſolus ſapere viderer; verùm & ab aliis diverſum quamvis quid à me ſentientibus doctior inde fieri cupio, quibus ceu æquis cenſoribus me meaq; omnia officiosè ſubmitto.

Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Veteres ſtomachum κοιλίαν nuncuparunt, cavitatem talem, quæ ineſt veſicæ, quæ utero, quæ colo; ut ſi quid ingrediatur, non niſi leviter ab ambiente alteratum calore regredi animadvertas. Urina nihil immutata ex veſica elabitur; excrementa ex utero, ſive ſit pituita, ſive fluxus albus, aut aliud quidpiam, incorrecta effluunt: Colon reddit fæces nihil variatas. Sic haud abſimili ratione ſtomachus cavitatem ſuam pro infarctu alimentorum tantùm accommodare videtur, quæ ſi decenti fuerit impleta proportione, ſatietas cibi potûsq; adeſt; ingeſtio verò ſi limites exceſſerit ſuos, vel nimiùm extendet ambitum ſtomachi, aut faſtidium adferet epuloni, aut ad vomitum gurgitem ſolicitabit. Ergò ſuâ non caret laude mediocritas, juxta Coum: non ſatiari cibis, potu non repleri & impigrum eſſe ad labores, ſanitati confert.

Stomachus dicitur cavitas.

Præter eundem, quem cavitate ſuâ præſtat uſum, utrum peculiarem ventriculus coctionis actionem ſuſtineat, etiamnum dubitare licebit. Hæc ſiquidem functio in ore maſticatum, cumq; ſaliva miſtum, quem admiſit, cibum

An faciat aliquid ad coctionem.

bum in formam chymi vel chyli transmutare creditur. A sua omninò forma dependere hanc coquendi facultatem putarim: quæ cùm sit calor nativus; substantia autem stomachi membranacea prorsus sit, & exiguum talem in se habeat; quid præter receptionem & conservationem ille largiri possit contento alimento, vix indagare licebit. Nam ipse opus habet adjutu caloris, quo fovetur, extrinseci, qui mediantibus cæteris ipsis junctis visceribus advenit, ut commodior fiat in stomacho cibi digestio; nec insuper hîc facit extraneus à deglutito calidioris substantiæ pastu calor, vel calido stomachi innato adfert suppetias, quid? quod intensior elementaris calor noxam inferat calori innato: Febris siquidem est calidi innati ab externo calore inflammatio. Putas tantum stomacho inesse calorem, foci culinaris instar alimenta percoquentem, qualem Struthiocamelo affingunt æstum, vel etiam gallinarum ventriculis folia ☉ri eliquantibus, longè aberrabis: Talem enim nec stomachus suppeditat calorem, nec vicina admittunt viscera; quin in jam enectis animantibus blandus tantùm deprehenditur calor ad percoquendas crudas carnes, aut alios nondum subactos cibos haud sufficiens.

An fermentum in se habeat.

Vis calori velificari fermentum, quod stomachi indigenam & à natura sua cuivis inesse plurimi statuunt; Priùs hîc ego illius desidero originem primumq; dari mihi principium velim, utrum congenitum in utero illicò huic inserviat functioni, cùm fœtus inibi cibum per os admittere nequeat. Verùm enimverò post partum demum id fermentum fortasse stomacho innascetur? quibus id, ut credam, rationibus confirmetur, adduci, vix potero. Locus verò in stomacho, qui id præparet fermentum, & in quo conservetur, ex qua insuper materia tale formetur, undiq; vacillare videtur. Hoc si esset, unicum

cum purgans, vel quicquid ſtomacho tumultum parit, illicò id omne exturbaret, cùm tot alia in eo contenta ejiciat excrementa, ſedemq; fermenti penitùs deſolaret, ut deinceps poſt impetuoſam præſertim evacuationem nullus rediret appetitus, aut concoctio perficeretur.

An juſto tempore perficiat cibum.

Nec inſuper juſta temporis ratio competenti fermentationis in ſtomacho moræ ancillabitur; ſuum enim determinatum concedendum eſt fermentationi tempus: Quis verò ſtomachus hujus juſtæ peractæ fermentationis arbiter audiet? ut vel bihorio, aut plus exacto fermentatum exactè cibum illicò per pylorum emitteret in inteſtina? Quàm celer chyli tranſitus foret per venas ex inteſtinis tenuibus lacteas neceſſarius, & quàm repentina ſuctio chylum abducere & in receptaculum Pecquetianum deferre cogeretur? quàm velox inde ſequeretur ſtomachi inanitio, & hanc eandem ſicci humidiq; appetentia? Quid porrò illis contingeret adverſi, qui in media fermentatione cibum potumq; aſſumerent? Anne deſtructâ præſenti nova denuò requireretur fermentatio? quod apud gulones & puerulos os ſubinde quibusvis oblatis obfarcientes uſu venire ſolet.

An ciborum varietas aliquid faciat ad fermentationem.

Adhæc in tantum extollitur fermentationis neceſſitas, ut ſublatâ vel impeditâ tali, nullà ciborum concoctio ſequi poſſit, hinc majorem fermentationem feliciorem efficere concoctionem contendunt. Stante verò hoc, illi reverâ, qui ſimpliciſſimo utuntur cibo, infeliciori præ iis premerentur ſorte, dum ciborum farrago majorem & meliorem excitaret fermentationem: ii verò qui ardore ſtomachi divexantur, ex hac ſuborta, poſt variorum ciborum corruptionem, effervefcentiâ, ructus ſubinde calidos & æſtuantes prorſus reddunt, fauces tantùm non inflammantes. Hæc ſcilicet vera eſt ciborum fermentatio, quæ ob ſui impetum in clauſtris ſtomachi detineri nequit,

Ardor ſtomachi.

quit, ſed negato deorſum tranſitu, quâ data porta, ruit gulamq; infeſtat. Mereretur fortaſſe talis in ſtomacho pro viribus confirmata ciborum præparatio, concoctio & fermentatio easdem, quas olim magni illi naturæ Myſtæ Rolfinccius & Bartholinus hepati decrevére exequias, quia promi vicem condi ſubire ſaltim ventriculus videtur, tantum cibi & potionis appetens, quantum pro reficiendo corpore opus eſt.

Cur tanta ſtomachi cavitas.

Cavitatis verò ſat inſignis in ſtomacho ea fuit neceſſitas, ut molem quandam ciborum ſufficientem admittere poſſet, ut inſuper ex promtuario hoc ad chylificationem ſemper ſuppeteret maſſa fermentanda, nec continuo comedendi appetitu urgeretur homo. Quævis verò ore aſſumta alimenta, ſive liquidiora ea ſunt, aut ſicciora, cruda vel concocta, aſſa vel elixa, dentibus comminuta atq; ſalivâ commiſta per Oeſophagum paulatim, bolus poſt bolum deglutiuntur, ex œſophago per fauces compreſſas delapſa ſuperiùs attrahit & avidè excipit famelicum & ſiticuloſum ſtomachi orificium, illicò ſemper poſt ejus ingreſſum ſe claudens. Dum ventriculus antè fuerat flaccidus & ferè compreſſus, jam ſecundùm aſſumti quantitatem ſe extendit, donec completum illum ſatietas arguit. Inibi commoratur maſſa alimentaris, liquidiori innatans ſubſtantiæ eò usq;, dum ſe ſtomachus nervorum ſuperius ejus orificium ambientium auxilio contrahere nititur, & per pylorum, æquè & ſecundum rectam lineam quaſi altum, cremori aliquandiu intra viſcera concalefacto & ferè digeſto, exitum parat. Nec unâ id vice, renitente loci ibidem anguſtiâ, peragi poteſt; ſed paulatim bolus iterum poſt bolum excluſus in fermentum ex bile & ſucco pancreatico guttatim affluens delabitur in duodenum, quod retròflexum pyloro adhæret, ne facilis flatibus ex fermentatione iſtic orta, indeq;

Vera maſſæ alimentaris perfectio.

ructi-

ructibus stomachum infestantibus pateret via. Posteà per tenuium intestinorum anfractus quasi tumultuans massa alimentaris chylum vi fermentationis sequestratum venis offert lacteis absorbendum, & ad receptaculum chyli Pecquetianum in lumbis deferendum. Potulenta quæ in fundo stomachi retardat portio paulatim quoq; ab omento fibris absorbetur, & adhærentibus sibi visceribus communicatur, indeq; per renes, per urinam, quod superfluum est, emittitur. Iis quippe animalibus, quibus non inest omentum, nec inesse renes nec vesicam observatum est, quod uberius in Miscell. Nat. Curios. noni anni diducere visum fuit.

Tandem cùm ejusdem cum cæteris intestinis substantiæ, licèt capacior & in se ipso crassior, sit ventriculus, ut meritò caput eorundem nuncupari possit, nil proinde illum plus iis concoquere, nec quid alterationis, præter solam quandam digestionem cibo impertiri posse, æstimare licebit, dum tenuibus, in quibus fermentatio peragitur, potius nobilior præparandi chylum facultas debeatur, iisq; solis venæ adhæreant lacteæ, eorundemq; læsio iis longè periculosior existat; & ideò mediam ceu magè securam inter stomachum & colon occupant regionem.

Ventriculus est qualis caput intestinorum.

In intestinis tenuibus fit fermentatio.

Immane! quantum insonti crebrò imputetur stomacho, cùm vel leviter afficitur externo aëre istius regio, vel ab assumptis inconvenientibus alimentis langvet, illicò de coctione ejus tot querimoniæ habentur, tantaq; causarum morbificarum farrago producitur. Vitiato interdum succo pancreatico vel corruptæ bili adscribendæ forent plurimæ Ventriculi affectiones: quid? quod alterutro horum non ritè disposito plures longè in chylosi defraudatâ oriuntur difficultates, nec debita sequitur fermentatio, nec chyli exoptata à massa malè fermentata separatio.

Vitia aliorum viscerum stomacho affinguntur.

Quis

Quis verò talem deinde non ritè præparatum chylum ſanguini, ceu τῷ ὀχήματι τῆς τροφῆς, junctum reficiendis muſculorum fibris idoneum cenſere, aut aptum corpori nutrimentum præbere poſſe crediderit. Quot læsâ bile, quot pancreatico vitiato liquore morborum cauſæ oriri queant, penitiùs hæcce penſitanti facilè patebunt. Hisce prætervisis tot immerenti ſæpius aſſignantur ſtomacho errores, tot ille innocens aggravatur culpis, in podagricis, epilepticis, ſcorbuticis, hydropicis, &c. atq; id genus aliis affectibus, toties fruſtra ille torquetur furſum deorſumque evacuationibus, ut tandem exhauſtis ejus viribus natura ex centro amplius morbum exturbare non valeat, miſerq; inde intereat æger. In eorum numero habentur inprimis agyrtæ & alii plures, qui continuis & vehementibus ægros invadunt catharticis, qui ut poſſunt, variis pollicitationibus ægros miſerè depriмunt. Accedit, quod nemini magis, Plinii teſtimonio, quàm ſe Medicum profitenti credatur; cùm tamen in nullo mendacio iſtorum homuncionum periculum ſit majus.

Hæc ſufficiant: Tu verò Excellentisſime Domine, dum ſolius veritatis gratiâ nihil non ſubire conaris, porrò ſummam DEI gloriam ceu curioſus naturæ indagator, rariora ejus myſteria & Academiæ noſtræ infinita pro viribus commoda promovere contendas. Sic tandem

inclyta vivet in æternum Tua fama ſuperſtes.

Vale viveq; diu. Dedi in æquinoctio verno Anni M DC LXXXII.

TVVS

HELIANTHUS.